





V.4. N.34  
SUB NUMINIS DIVINI PRÆSIDIO  
DISSERTATIONEM INAUGURAL. JURIDICAM,

DE

# TAXA FEUDALI,

VULGO

*Nom. Behn - TAX,*

CONSENSU MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,  
IN PERANTQUA ACADEMIA HIERANA,  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE ET LEGITIME  
CONSEQUENDIS,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SUBMITTIT

HEINRICUS PHILIPPUS  
DÖBNERUS,

COBURGO - FRANCUS,  
ILLUSTRIS REGIMINIS SAXO - COBURGENSIS  
ADVOCATUS ORDINAR.

DIE XXVII. MART. ANNO CIC 1000 XIX.  
HORIS LOCOQUE CONSUETIS.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
TYPOGR. ACAD.

**DEO  
PATERIÆ  
ET  
PATRONIS.**

**PIETATIS  
PROSPERITATIS  
CONFORTATIONIS**

**CONFIDENCE  
ADVENTUS  
CONCILIATIONIS**



## PROÆMIUM.

**N**on est, cur juris feu-  
dal is ejusque cogni-  
tionis utilitatem ac  
necessitatem multis  
verborum ampullis  
commendem, cum omnibus, qui  
vel mediocriter saltem in jure ver-  
fati sunt, isthæc satis abundeque jam  
pateat, adeo, ut præsertim in nostro  
Imperio Romano-Germanico nul-  
lum Regnum, nullus Ducatus, Co-  
mitatus, Baronatus, imo nullum  
oppidum ferme reperiatur, in quo  
juris feudal is cognitio non sit neces-  
saria.

A

faria.

faria. Inter materias vero ejusdem  
in ihi Dissertationis Inauguralis spe-  
cimen edituro præ cæteris arrisit  
doctrina de Taxa feudal, tum quod  
de illa parum adhuc literis concin-  
natum noverim, tum quod ejus u-  
fus in patria mea quam maxime in-  
præsentiarum se exerat. Collegi  
itaque de materia ista nonnullas  
theses, easque placidæ disceptatio-  
nis aleæ, ut eo melius discuterentur,  
discussæque explanarentur, submit-  
tere constitui, quod ut felicius diri-  
gatur & optatius perficiatur,

Nunc precor, ut summum Numen  
mea coepta secundet:  
Sic sane poterunt cedere cuncta  
bene.

I. N. D.

A

I. N. D. N. I. C.

## Thes. I.

 Um nemo res probe intelligat, nisi prius verba cognoverit, quippe per quæ res ipsa significatur, ideo priusquam ad ipsam Taxæ feudalis definitionem perveniam, vocum derivationem & significacionem præmittere necessarium esse duxi.

## Thes. II.

Vox autem Taxæ sine dubio descendit a taxando, quod significat pretio æstimare apud Plin. Hinc taxatio dicitur, Festo teste, quæ sit certæ summae, quam Judex etiam post principale negotium definitum facere potest. *l. Terminatio C. de frucl. & lit. expens.* & hinc taxatio furnitur, ut Justinianus autor est in *Novell. 3. § 82*, pro summa quadam pecuniæ ab eo, qui iudicio præest, definita; id quod plerumque sit jurisjurandi in litem refrenandi causa. *l. videamus §. pen. ff. de in lit. ju- rand. l. 3. §. præterea ff. ad exhibendum l. arbitrio §. l. ff. de dolo. l. qui restituere. ff. de rei vind.* Taxationes etiam dicuntur in testamentis & contractibus præscriptiones quædam verborum, quibus oratio aut coercetur aut dilatatur; Nam plerumque

A 2 taxatio

taxationes efficiunt, ut minus, quam dictum sit,  
debeat.

### Thes. III.

Feudalis autem dicitur a feudo, cuius vocabuli derivations ac significaciones varias inquirere jam nec instituti ratio efflagitat, nec operæ pretium esse duco, cum de hac materia ut & de feudorum origine haud paucâ Doctorum extent scripta, inter quæ ex novioribus præcipue legi merentur Jacob. Caroli Speneri, J. U. D. & P. P. Witteberg. primitæ observationum historicæ -feudalium, ubi etiam tradit definitionem feudi, quod scilicet feudum sit beneficium seu benevolia & libera rei immobilis aut æquipollentis concessio, cum utilis dominii translatione, retenta proprietate seu dominio directo, sub fidelitate & exhibitione honestorum servitorum.

*Obser. 3. §. 4.*

### Thes. IV.

Effertur Taxa feudalis aliis nominibus & vocatur laudemium, sed abusive ac minus proprie. Wehner. in obser. pr. sub voc. Handlohn. Siquidem laudemia inter obventiones ad Dominos directos pertinentes referuntur, & per hoc in præfecturis a Symbolis, quæ præfectis solent pendi & dari, den Schreib-Schilling separantur. Franzk. de laudem. cap. IV. num.

( 5 )

IV. num. 43. & 44. Dicitur etiam Relevium apud  
Iter. de feudis Imp. cap. XI. §. 13. quæ vox Hispanis  
atque Italica non infrequens est, a Germanis autem  
raro usurpatum. Alio nomine & ab Alemannis im-  
primis vocatur Chrschäz. Schilt. de bon. laudem. §. 9.  
Item, elevatio & relevamentum Winziger. annot. ad  
exam. feud. Stryk. cap. 17. quest. 26.

### Thes. V.

Origo præstationum laudemalium refertur in  
bonis emphyteuticis, & quæ pari cum iis jure cen-  
sentur, ad l. fin. C. de jure Emphyteut, in bonis feu-  
dalibus autem ad usum & consuetudinem vel le-  
gem specialem. Jure enim feudali communi rele-  
vium nullum deberi, sed investituram gratis fa-  
ciendam esse, certum est. Horn. in Jurispr. feud. cap.  
XVII. de renov. invest. & laud. §. 21. p. 453. Hartm.  
Pistor. p. 1. qu. 50. num. 61. Cum sit beneficium &  
detur ex benevolentia 2. feud. 23. cap. 1. §. & quia  
vidimus. Jam vero beneficio nihil magis contra-  
riatur, quam ut redimatur pretio; & feudum non  
sub prætextu pecuniae sed amore & honore Domini-  
ni acquirendum. Schneiderw. p 5. feud. num. 61. Ro-  
senth. in Synops. cap. 6. concl. 66. n. 4. Wszenb. Conf.  
186. n. 48. Vol. 4. Card. Tisch. Vol. 5. lit. L. concl. 15. in  
fine. Hinc inferendum, nec Taxam regulariter  
deberi, nisi illa per consuetudinem recepta vel per  
legem aliquam specialem introducta sit, quemad-  
modum

modum videmus in *Constit. Elect. Sax. sive peculiari mandato Elect. Sax. de renovat. investitura anno 1691.* die 12. Octobr. emiso, ubi sequentia habentur verba: Wann sie nun drittens beliehen/ wollen wir auch / daß ein jeder den aufs neu gefertig-ten Lehen-Brief umb den gesetzten und gewöhnlichen leid-lichen Tax unverlängt ablöse / und zu mehrerer Gewiß-heit solcher Tax einen landüblichen Anschlag seines Guths/ oder Lehen-Stücks zugleich mit übergebe / oder doch den wahren Werth desselben / seinen Pflichten nach/ an-melde.

## Thes. VI.

Definiri potest Taxa feudal is, quod sit quæ-dam pecuniæ summa , quæ mutato feudo, pro in-vestitura a Vasallis præfecto aliisque ministris cu-riæ feudal is, sive Cancellariæ feudal i, usu & con-suetudine, ut honorarium, vel ut alii definiunt, ut sportula , exsolvitur.

## Thes. VII.

Convenit Taxa feudal is cum laudemio, pri-mo ratione causæ efficientis remotæ , quæ est usus seu consuetudo ; secundo ratione causæ efficientis propinquæ , quæ est investitura : nam & laudemiu-m & Taxa feudal is exolvuntur pro investitura ; tertio ratione subjecti a quo, quod suat Vasalli; quarto ratione objecti, quod est mutatio manus feu-

angbom

( 7 )

feudi ; quinto ratione caufæ finalis , quaæ eft recognitio Domini vel contestatio obligationis erga ipsum ; ſexto ratione materiæ ex qua , ſcilicet & laudemium & Taxa feudalis conſiſtunt in pecunia & quidem parata .

### Thes. VIII.

Differt vero potiſſimum Taxa feudalis a laudemio ratione ſubjeſti cui , ſeu in eo , quod laudemium exfolvatur Domino feudi direc̄to , vel qui ejus loco rem poffidet eaque fruitur ; Taxa feudalis autem officialibus Principis ſeu Præfectis curiæ . Hic notandum , diſferre quoque Taxam feudalem von denen ſo genannten Angefalls Geldern / quaæ de feudis Principum ſolvuntur , quoties ad collateralem ſuccellorem veniunt , ac rationem laudemii habent , qua de re notabilia ſunt , quaæ leguntur apud Schilterum cap . LV . Jur . feud . Alem . § . 3 . Conf . Dn . Stryk . Append . num . 52 . p . 387 . Inſtr . pac . Os nab . Art . 5 . § . 9 .

### Thes. IX.

Solvere tenentur taxam feudalem omnes , qui per investituram fiunt Domini rei titulo ſingulari , ut ſint novi emphyteuræ , Vasalli , Censuarii & omnes illi , qui non ſunt in prima investitura comprehenſi . Comprehensi autem non cenzentur , niſi

qui

qui sine facto hominis vi solius legis & titulo universalis defunctum repræsentant, inque omnia jura tam active quam passive succedunt. *Coler. Decis. 33. n. 31.* quales sunt liberi emphyteutæ seu Vasalli in emphyteusi seu feudo parentibus succedentes, sive succedant ab intestato, sive ex testamento, quia intelliguntur esse Domini bonorum paternorum, etiam vivo adhuc parente, *l. u. ff. de liber. & postb. §. si autem Inſt. de hered. qualit. & differ. ejusque personam repræsentant l. fin. C. de impub. & al. ſubſt.* Hinc etiam sub investitura parentum censentur comprehensi & propterea sunt immunes, *Hartm. Pistor. lib. 1. qu. 50. n. 59. Amed. de Ponte quæſt. 10. consult. Saxon. p. 1. qu. 26. n. 10. & 11. Per-*  
*tinent hoc etiam, quæ habet Titius in Deutschen Lehn- Recht Cap. 21. §. 30.*

### Thes. X.

Aliud vero dicendum est, ubi vel lege speciali vel statuto vel consuetudine contrarium introductum est. Nam quod in hoc caſu etiam liberi Taxam feudalem exſolvere teneantur, extra dubium est, quia ejusmodi consuetudo omnino valida & per conſequens attendenda eſt. *Wefenb. Conf. 16. n. 2. Knich. ac vѣst. paſz. part. 2. cap. 4. n. 203.* Cum consuetudo vim legis habeat §. 9. *Inſt. de J. N. G. & C. Carpz. p. 3. Conſt. 20. def. 6. n. 4. lib. 4. tit. 9. Reſp. & n. 7. L. 6. tit. 10. reſp. 115. n. 20.* Imo valentior fit

( 9 )

fit ipsa lege. Idem Carpz. in *Def. Conf.* lib. 1. tit. 7.  
*Def.* 114. n. 6.

### Thes. XI.

Quæ de liberis dicta sunt, etiam locum ha-  
bent in ascendentibus & collateralibus, nempe si  
los omnes, nisi lex vel consuetudo obsteret, ab o-  
nere Taxæ feudalæ immunes esse, ubi tamen præ-  
supponendi sunt termini habiles, quod vel in feu-  
dis, vel emphyteusi succedere possint. *Franzk.* c. 8.  
*de laudem.* n. 197. *Strup.* S. J. F. cap. 10. §. 13. n. 3. quæ  
conclusio etiam extendenda est ad hæredes testa-  
mento institutos & quidem cum primis illos, qui  
alias ab intestato successori essent. *Brun. Conf.* 44.

### Thes. XII.

Quæritur hic: An simultaneæ investitūs, mu-  
tato feudo, renovationem investituræ petere & ta-  
xam feudalem solvere teneatur? Pro resolutione  
hujus questioñis distinguendum inter simultane-  
am investitūram juris civilis seu communis feuda-  
lis, & juris Saxonici. Jure civili simultaneæ inve-  
stitūs, quam diu feudum non possidet, renovatio-  
nem investituræ petere non tenetur. *Mouß. Pift.*  
*Conf.* 38. n. 22. *& Conf.* 40. n. 12. *Decian. Conf.* 184. col.  
penult. *Roland a Valle Conf.* 18. n. 8. *& 17. Schurff.*  
*Conf.* 66. n. 18. *& 19. cent.* 1. *Wesenb. Conf.* 15. n. 25. p. 1.

B

Jure

Jure vero Saxonico , quotiescumque possessio feudi vel per mortem Domini vel Vasalli possessoris interrupitur , renovatione opus est . Pruckm. Conf. 39. n. 122. Vol. 1. Koepp. Decis. 47. n. 5. & seqq. Berl. p. 2. conclus. 43. n. 34 Doeblin. in Dissert. de conjunct. minu. th. IX. & in not. ad lit. IV. Hinc etiam taxa feudal is prestanta , urpote quæ ad illas sportulas refertur , quæ semper exsolvendæ & Cancellariæ feudal i pro actu investituræ solvi solent , it. Vor Ausfertigung des Muth-Zettuls und Lehren-Brieffs / welcher umb den gesetzten und gewöhnlichen leidlichen Tax unverlängt abzulösen / vid. Mandat. Elect. Saxon. de anno 1622. §. Nachdem wir auch zum andern z. ut § Mandat. Elector. Sax. anno 1691. emissum §. Wenn sie nun drittens beliehen.

## Thes. XIII.

Quod si vero duo filii post mortem patris simultanea a Domino investiti & simul in possessio feudi maneat , welche sämtlich belehnet seyn und das Guth in gleicher Gewehr haben / si postea unus ex illis sine liberis masculis decebat , superstes ad renovationem investituræ non tenetur , darf anderweit die Güther nicht empfangen / sondern behält sie ganz allein / und das ist die Natur und Eigenschaft der sämtlichen Belehnung. Illust. Lynck. Tract. method. de individualitate sive de jure rerum individualium von untheilbaren Dingen / Cap. 2. Sect. 1. aphor. 3. n. 22 pag. 32. Arque sic superstes taxam feudalem exsolvere haud tenetur.

Thes.

Thes. XIV.

In feudis Imperii omnes Vasalli, cujuscunque  
sint dignationis, vi consuetudinis pendere tenen-  
tur honorarium in investitura feudorum suorum,  
nisi lege aut alia ratione exemptos se docere queant,  
uti sunt Electores, quippe qui per expressam *Aurea*  
*Bulle Sanctionem* in cap. 29. §. 1. ab onere illo liberati  
sunt. *Goldast* in *Politischen Reichs-Händeln* p. 8.  
cap. 3. p. 217. Et quidem ob eam potissimum ra-  
tionem, quod ipsi cunctis Imperialis Curiae offici-  
is præsent, suoque habeant officiales, quibus alias  
hæc pecunia solvitur; sed cum operam istam ab  
inferioris conditionis hominibus gratis sibi præ-  
stari dedignentur, ex mera liberalitate præmio a-  
liquo eosdem afficere solent. Sicut nominatim  
quantum quisque sive secularium sive Ecclesiasti-  
corum Electorum officialibus Imper. hæreditariis  
pendere soleat, annotatum est in designatione illa,  
quæ inserta legitur *Besold Thes. præf.* tit. 5. n. 38.  
voc. *Erb-Aembter* pag. 230. & 232. Add superio-  
ribus von der Reichs Leken-Tax Fabri *Staats-*  
*Cantley*. Tom. 2. p. 243. seqq. Lüning's R. A. part.  
gen. p. 333. It. C. L. *Bilderbeck*. in seinem Deutschen  
Reichs-Staat p. 3. §. 2. cap. 1. pag. 34. in fin.  
Quin & ministris aulicis pro præstata opera aliiquid  
largiri solent *Id. Bilderb.* et. loc. & *Cassand.* *Thuce-*  
*lius*. in *Electis Jur. publ. curiosis* cap. 5. n. 4. not. 2. &

B 2

3. qua-

3. quarum impensarum calculum init, & quantum quisque recipiat, speciatim annotavit Uffenbach de Judicis Imp. Aul cap. XI. pag. 124 & ex eo retulit Stryk. in Append. Jur. seu, pag. 482. siibus al. Berl.

## Thes. XV.

Præter Electores dantur adhuc alii, qui a presentatione Taxæ feudalis liberi habentur, v.g. Archiduces Austriae ex Frider. Imper. privilegio, quod extat apud Linneum lib. V. jur. publ. cap. 2. n. 30. ibi: Volumus etiam, ut dictus Austriae Dux omnia sua feudalia sive jura liberaliter suscipiat datione sine omni; quod explicatius effert Carolus V. in confirmatione privilegiorum domus Austriae. Et (de Archiduce loquitur) empfahet auch sein Lehen frei ohne einige Gabe. Idem refert de Principibus Imperii cit. Bilderb. loc. supra alleg. in verb. Die Reichs-Fürsten sind des Taxes gleichfalls befreyet ic. Et Fuldenium quoque Abbatem eodem jure donatum esse, ab aliis sibi relatum fuisse memorat Linneus T. 2. Add ad lib. VI. quamvis in designatione, quam Besoldus exhibet, inter Abbates, die den Erb-Nembtern Geld zugeben schuldig/ wann Sie die Lehen empfangen/ Fuldensis primo loco referatur.

Thes.

## Thes. XVI.

Quæritur vero : An Successor feudalis ad exsolutionem Taxæ, quam antecessor præstare distulit, adstringi possit ? Decisio hujus quæstionis dependet ab illa : An Taxa feudal is pro onere personali vel reali & feudo inhærente sit habenda ? Hic vero Doctores in diversas abeunt sententias ; Alii enim istam præstationem pro personali venditant & quidem ex ea ratione, quod hic nulla expressa lex adsit, quæ tacita hypothecam inducat ; Alii vero in contrarium verli onus taxæ feudal is pro reali & feudo inhærente habendum contendunt, pro qua ultima sententia haud dubie multa satis speciose dissertari possent, sicut & Stuckius dum in eruenda facti specie, quæ huic non multum absimilis est, versatur, non modo ipsas principalium investiturarum renovationes onus feudi reale esse ; sed & sumtus eo nomine erogatos ab omnibus familiae Principibus pro ratione dæs Römer-Bugs conferendos esse pronunciat *Conf. XXV. num. 19. § n. 17.* Et sane quod laudemii præstatio ipsi feudo cæterisque bonis laudemialibus tanquam onus reale inhæreat, adeoque ad quemcunque possessorem transeat, inter Doctores cum primis prædictis dubio plane caret *Anton. Faber in C. lib. 4. tit. 42. Def. 1. n. 24. § 25. Menoch. Confil. 44. num. 18. Struv. in S. J. F. Svend. in Tract. de Action. success.*

cess. feudal. Art. 8. §. 5. & hinc appareat, quod possessor novus etiam laudemium ab antecessore adhuc debitum exsolvere teneatur vid. l. 27. in pr. ff. de O. & A. l. 12. C. de dist. pign. Cum res transeat cum onere, & tributa, census, collectæ aliaque onera realia necessario sequantur prædium, ut hoc sine illis nec vendi nec comparari possit. l. 2. in fin. C. sine cens. & reliqu. fund. comp. non poss. Id quod etiam comprobat Decis. Elez. &c. Adeo ut secundum communem Dd. opinionem Domino directo in fundo emphyteutico ratione laudemii racita competit hypotheca, ita, ut novus possessor etiam ad laudemia ab antecessoribus debita exsolvenda actione hypothecaria compelli possit. Amed. a Ponte qu. 45. n. 5. Menoch. Consil. 444. n. 15. lib. 5. de qua consuetudine fere universaliter testatur Struv. in S. J. F. cap. 10. §. 17. n. 13. Carpz. part. 1. C. 28. def. 53. quæ tamen ita intelligenda sunt, modo apud priorem debitorem Magistratus in exigendo non fuerit negligens. Berl. concl. 64. n. 112.

### Thes. XVII.

Ex dictis porro notandum, quod Taxa feudalis praestanda sit non a venditore, sed ab emtore seu novo possessore, qui nova opus habet investitura & recognitione. arg. l. 27. in fin. ff. de Edilit. Edict. Sed quid si vendor per pactum isthoc onus in se suscepit? Tunc nihilominus Taxa feudalis ab emto-

( 15 )

emtore erit exsolvenda , quia pactum saltem inter pacientes valet, ad tertium vero non consentientem se non extendit. *l. 24 de pac.* Emotoriamen in hoc casu adversus venditorem omnino datur regressus.

### Thes. XVIII.

Progrederior nunc ad personas, quibus exsolvitur seu debetur Taxa feudal. Exsolvitur ergo Taxa feudal regulariter praefectis curiae feudalis seu ministris , qui actum investituræ expedient. *Schilt.* in *Inst. jur. publ. Romano - Germ. tom. 1. lib. 2. tit. 1.* §. 13. In nonnullis locis Cancellarius vel alias certus Consiliarius constituitur, qui rerum feudalium curam habet, & dicitur ein Lehen- Probst. vid. *Seckendorff.* *Deutscher Fürsten - Staat.* p. 3. Reg. 3. §. 2. von der Bestellung eines Lehen-Hoffs. In patria mea cura ista competit Cancellario & Consiliarii conjunctim.

### Thes. XIX.

In feudis Imperii quibus haec pensio solvi debeat, illud cognoscere licet ex sanctione Carolina in *A. B. cap. 29. §. 2. & 3.* ubi constituitur, quod pecunia illa juxta modum ibidem præscriptum magistro curiae exsolvenda sit, qui postmodum inter cæteros officiales eam dispartiri debeat, quod tamen

tamen non ita stricte hodie observari, sed potius Cancellariæ nec non inferioribus aulæ ministris suam portionem immediate solvi tradidit Linnæus ad Tit. 2. Addit. lib. 4. pag. 434. seqq. ubi & alia, quæ hoc spectant, diligenter explicavit Jung. ejusd. observat. ad A. B. cap. 29. §. 2. § 3.

## Thes. XX.

Si forsitan plures sint domini, qui feudum dominium seu directum in commune possident, & unus ex illis moriatur, Taxa feudal is non integrum seu in totum, sed saltem pro parte vel rata est præstanta: Idque ob sequentes potissimum rationes, quia (i. feudum seu dominium ejus dominans, quod a pluribus pro indiviso possidetur, deceidente uno, saltem quoad partem mutatur, & sic renovatione feudi seu petitio investituræ, mortuo uno Condominorum, nequaquam in totum, sed saltem pro ea rata seu parte condominii directi, quod defunctus in fendo pro indiviso habuit, intelligenda. Nam ultra istam ratam partem ratione reliquorum Condominorum, & partium, quæ ad unumquemque illorum pertinent, nulla mutatio contingit, ideoque nec renovatione opus est, nec per consequens Taxa feudal is, præterquam pro ea parte condominii, quod mutatum est, debetur. Siquidem in casu plurium Condominorum Vasalli unicuique saltem pro rata condominii in rebus dividuis

yiduis obligati sunt, ad quas res dividuae sine du-  
bio spectant laudemiales hujusmodi præstationes  
sive Taxæ feudales in pecunia ejusque præstatione  
consistentes. *Franzk. lib. 1. resol. 19. n. 38.* & *39.* Unde  
(2. adeo operas & servitia præterita quoad æstima-  
tionem præstanta, non nisi pro rata parte de-  
beri, scribit *Speculator de feud.* vers. 9. n. 21. *Lynch.*  
*de individ. sive de jure rerum individuarum cap. 2.*  
*sect. 1. aphor. 5. n. 35.* Proinde etiam (3. ejusmo-  
di præstationes laudemiales pluribus Condominis  
feudalibus exsolvendæ, mutatione solummodo in  
unius Condomini persona contingente, non in to-  
tum, sed in tantum, sive pro illa rata, quam mor-  
tuus Condominus directus in feudo habuit, suis  
successoribus præstantæ. Enim vero pluribus Con-  
dominis dominium directum in commune possi-  
dentibus, unum tantum laudemium debetur, quia  
instar unius Domini habentur. *arg. 1. cui fundus 56.*  
*ff. de condit.* & *demonstr.* Et licet ab omnibus in-  
vestitura peti debeat, unam tamen omnes investi-  
turam expedire possunt. *2. feud. 77. Franzk. de lau-*  
*dem. cap. 7. n. 13.* Hinc unius Condomini explu-  
ribus Condominis mortui liberis relictis, in re-  
novatione investituræ dominii directi petendæ,  
plus non, quam una tantummodo rata unius Taxæ  
feudalis seu debiti laudemii, respectu totius feudi  
debitur; potissimum, cum in pecunia constet, ac  
unicuique pro parte vel portione sua debita præ-  
stari commode possit. *Amed. a Ponte qu. 23. Aug.*

C

Hoff-

Hoffman. de jur. rer. divid. ac individ. cap. 2. Sect. R.  
apbor. s.

### Thes. XXI.

Quæ in præcedenti thesi prolatæ, omnino etiam locum inveniunt circa Taxam feudalem, quia hæc nihil aliud est atque dicitur, quam species laudemii. Limneus ad A. B. cap. 29 §. 1. obs. iii. Rumein. p. 3. discurs. ad A. B. th. 2. Iter. de feud. Imp. cap. 2. §. 10. Nam quamvis Rhet. ad t. feud. 22. p. 476. neget, ejusmodi Taxam feudalem proprio sensu laudemium esse; attamen nec ipse nec alii asserere possunt, quod illa Taxa non sit species quædam laudemii saltem ejus, quod minus vocari solet, eodemque vel similis cum laudemio jure censatur, de quo vid. Franzk. de laudem. cap. 3. n. 12. & cap. 4. n. 43. conf. Iter. de feud. Imp. cap. 2. §. 10. qualis præstatio quemadmodum sine dubio pro onere feudi reputanda; ita neutiquam ultra portionem uni Condominorum debitam ab ejus successoribus extendenda est, ceu notat post Myler. ad Rumein. ad A. B. p. 3. d. V. th. 15. pag. 811. & Franzk. de laudem. cap. 4. n. 35. & seqq. Iter. de feudis Imp. cap. 11. §. 14. in med. Quibus accedit (4) dogma illud juris, quod ex personis hæredum vel successorum conditio debitorum & sic etiam pro rata dun-taxat condominii directi hæreditario acceptorum Vasallorum ratione Taxæ feudalnis nequaquam in dete-

deterius mutari possit nec debeat. *l. 2. §. ex his 2. ff.*  
*de V. O. l. 2. §. 2. vers. at in contrarium ff. de pret. stip.*  
*Hartm. Pst. lib. 1. qu. 47. n. 20.* Hoc sane fieret,  
 si pro ista investitura ratione unius partis condor-  
 minii directi petenda, integra exsolvenda esset  
*Taxa. Franzk. lib. 1. Resol. 19. n. 3.* Molinaeus ad con-  
 suet. *Parif. Tit. 1. de Fieffe gloss. 1. §. 1. n. 71.* Præter-  
 ea (5. Vasalli contra dispositionem juris feudalis  
 adstringerentur plures in sui præjudicium & cum  
 susceptione onerum feudi haud consuetorum habe-  
 re dominos contra Text. 2. feud. 55. §. 1. vers. præter-  
 ea. *Conf. Clarus in §. feudum quæst. 47. n. 11.* ubi dicit,  
 si contingat possidere jus superioritatis plures pro  
 indiviso, quod Vasallus petere possit ab illis, ut u-  
 nus saltem in Dominum assignetur. *Cujac. ad lib. 3.*  
*feud. cap. 9. § L. 4. cap. 77.* cum primis quando sin-  
 gulus piurum Condominiorum, & qui pro rata tan-  
 tum est Condominus, onera feudalia in solidum  
 vel in totum a Vasallis prætenderet, cum tamen il-  
 la non nisi pro rata condomini directi debeantur.  
*Molin. ad consuet. Parif. tit. 1. Gloss. 1. §. 1. n. 71.* *Franzk.*  
*de laudem. cap. 7. n. 135.*

### Thes. XXII.

Equidem non desunt, qui contrariam tuerentur  
 sententiam, scilicet quod in casu proposito, quo u-  
 nus ex pluribus Dominis directum dominium in  
 commune possidentibus decedit, integra exsolven-  
 da

da sit taxa , moti exinde , quod hic Vasallus ab omnibus Dominis renovationem feudi seu investituram petere & debitam suam reverentiam illis contestari necesse habeat , cum singulis Condominis jus in feudo competitat , & hi Vasallorum Domini sint , ac consequenter illi his fideles esse , & hinc etiam pro parte licet vacatum feudum recognoscere & fidelitatem jurare debeant . arg . l . 1 . C . si unus ex pluribus hered . Credit . l . ea que 6 . C . famili . heredit . l . 1 . C . de except . ubi dicitur , quod debitor haereditatis unicuique haeredum creditoris pro portione haereditaria & quidem in causa pignoris etiam in solidum obligatus sit . Hinc & Domino feudi mortuo , pluribus haeredibus relictis , omnibus juramentum fidelitatis praestandum per Text . 2 . Feud . ss . § . preterea Ducatus & 2 . Feud . 26 . § . omnes filii . Zaf . p . 7 . Feud . n . 12 . Fuch . 7 . Contr . s . sane id ipsum multo verius videtur , si unus Condominus mortuus sit , liberis relictis , quia Vasalli his ipsis juramento obstricti non videntur , ut pote quod suam virtutem & efficaciam ultra personas , inter quas interpositum , non extendit , per cap . veniens X . de jurejur . Rosenth . de feud . cap . 6 . concl . 35 . n . 1 . lt . A . Franzk . L . 1 . Resol . 19 . n . 23 . Aug . Hoffmann . de jure rerum individ . cap . 1 . Sez . 1 . apb . 4 . num . 31 . Et per consequens asserunt , etiam deberi sportulas consuetas seu Taxam feudalem & quidem integrum , quia istius renovationis investiturae actus sit individuus , & hinc etiam Taxam individuam & integrum

gram præstari debere, ad exemplum eorum, quæ  
alioquin ut individua præstanta. arg. leg. 22. ff. de V.  
O. l. 8<sup>o</sup>. §. 2. ff. eod. tit. Molin. ad conject. Paris. §.  
3. Gloss. 4. n. 40. Hartm. Pist. lib. 2. qu. 7. n. 16. Ro-  
senh. de Feud. c. 5. concl. 12. n. 2. tit. d. & num. 6. Ja-  
cob. de S. Georg. in Tract. de Feud. n. 22. §. 28. ubi a  
juramento ad investituram infert, quæ non minus,  
ut illud, videatur res individua.

### Thes. XXIII.

Sed hæc omnia neutiquam firmant adductam  
sententiam contrariam; Nam nihil ad rem facit,  
quod Vasalli, uno ex pluribus Dominis defuncto, a  
successoribus ejus renovationem investituræ pe-  
tere necesse habeant, & hæc petitio renovationis  
quoad ipsum actum indivisibilis videatur; siqui-  
dem & hic actus Vasallos amplius gravare non  
potest, quam in quantum revera facta est recogni-  
tio. Molin. ad conject. Paris. tit. 1. Gloss. 1. §. 1. n. 71.  
Franzk. lib. 1. Resolut. 19. n. 9. Aug. Hoffmann. de jure  
ver. divid. & individ. cap. 2. Scđ. 1. aphor. 5. Hartman.  
Pist. lib. 1. qu. 47. n. 20. Quemadmodum vero hæc  
unice ac solum pro rata condominii directi fit, &  
morte unius Condomini reliquorum Condomino-  
rum directorum ratæ neutiquam mutantur; ita  
harum ratione nulla opus est renovatione & inve-  
stitura, ac per consequens nec Taxa feudalis præ-  
stanta est. Richter. p. 2. Decis. 83. n. 21. Franzk. de lau-.

C 3

dem.

*dem. cap. 7. n. 135.* Porro ab individuitate ipsius juramenti fidelitatis & actus investituræ in facto consistentis non statim inferendum ad Taxam feudalem, tum quod illi actus non sicut ratione rotius condominii directi, sed respiciant ad illam ratam, intuitu cuius investitura opus est, tum quod nec illi Taxam feudalem, quæ in exsolutione pecuniae consistit, individuam facere possint, cum ea, quæ in dando consistunt, sint vel maneant dividua pro parte cuiusque hæreditaria, quam in feudo quis habet, exsolvenda. *Franzk. lib. 1. Resol. 19. n. 38. August. Hoffmann. de jure rerum divid. § individ. cap. 2. Sct. 1. aphor. 5. ibique alleg. Speculator de feud. vers. 9. n. 91.* cum dividua a Vasallis Condaminis directis pluribus duntraxat pro rata sint exsolvenda, ceu habent Schneider. *ad Feud. p. 5. num. 17. Schrad. de Feud. p. 6. c. 6. n. 20. Obrecht. de Feud. lib. 2. cap. 3. n. 11.*

### Thes. XXIV.

Quæ hactenus dicta & asserta sunt, exceptionem patiuntur, quando per consuetudinem seu observantium aliud introductum est, quam observantium, quod scilicet uno ex pluribus Dominis dominium directum in commune possidentibus defuncto, integra Taxa præstanta sit, in dubio Curia feudalis probare necesse habet, quia peritio integræ Taxæ in casu renovationis, quæ sit intuitu ratæ

( 23 ) § 1<sup>o</sup>

ratæ partis unius condominii directi, juri communni supra allegato ejusque analogia contrariatur, ac præterea noto notius est, quod ei, qui exactionis suæ intentionem in observantia fundat, illam probare incumbat, & quidem plene ac cum omnibus suis requisitis l. 2. ff. de probat. cap. 1. de litis contest. in 6to. Harprecht Conf. 18. n. 339. Vol. 1. Carpz. p. 1. De- cis. 3. n. 25. Mascar. de probat. Concl. 123. n. 20. quæ probatio Curiæ exigenti integrum Taxam in casu proposito tanto magis incumbit, quia præstatio Taxæ alicujus, qualis qualis illa sit, ignota plane est in Jure feudal. Klock. de Aerario lib. 2. cap. 42. n. 22. & seqq. ac consequenter ad alios casus, quam in quibus recepta, extendi non potest. Olrad. conf. 237. n. 3. Anton. Faber in Cod. Sab. lib. 1. Tit. 2. defin. 45. n. 19. in not. Merv. p. 1. Dec. 45. cap. 2. Dec. 377. n. 4.

### Thes. XXV.

Quæritur vero, an Curiam feudalem ab onere probandi relevet, si demonstrat, in aliis Curiis integrum Taxam exsolvi solere, quando unus ex pluribus Dominis feudum in commune possiden- tibus decedit? Negativam ideo amplectior fenten- tiam; quia ab una Curia feudal ad aliam vel ab uno feudo ad aliud in ejusmodi consuetudinibus, quæ juri communni refragantur, argumentari non licet, & hinc prætensa observantia specialis specifice seu in individuo probanda est.

Thes.

## Thes. XXVI.

Si plures Principes Ducatum aliquem seu Principatum in commune possideant, & unus ex illis, qui præter ratam suam Ducatus vel Principatus illius communis, adhuc peculiarem Ducatum seu Principatum possidet, relictio hærede legitimo, decedat, quæritur: An Vasalli Ducatus seu Principatus communis, pro rata mutati condominii directi, Taxam seu sporulas laudeiales consuetas Curiæ feudali communi, an vero successoris Principalis propriæ exsolvere teneantur. E. g. E. jure hæreditario solus possidet Principatum H. in commune vero Ducatum C. E. moritur, relictio Principe successore W. fragtsichs ob die gemeinschafftliche Vasalli Ducatus C. den Lehen Tax pro rata mutati dominii directi per mortem E. der Curiæ feudali erwehnten Herzogthums C. oder der Curiæ H. zubezahlen schuldig? Pro posteriori sententia omnino militare videtur dispositio juris communis feudalis, vi cuius in casu plurium Condominorum, ex quibus unus relinquit liberos Vasalli communis obligati sunt, renovationem investituræ pro rata & quidem singulus a Domino succedente petere & per consequens etiam Taxam ejus Curiæ præstare. Alij vero non sine fundamento huic sententiæ opponunt, quod citra voluntatem Vasallorum Curia feudalis quoad ratas non dividi, & extra

( 25 )

extra provinciam transferri possit, quia Vasallus  
pro uno feudo plures Dominos vel Curias habere  
cogi nequit, cum ex personis hæredum condicio-  
nem obligationis in deterius mutare haud liceat.  
Ego tutissimam rationem esse puto, quæ cujusque  
loci observantiam seu consuerudinem sequitur.

### Thes. XXVII.

Non ineleganter hic etiam quæritur: Ob-,  
wann ein Vormund bey Empfängnis seiner Pupillen  
Lehen-Güther den Lehen-Tax albereit bezahlt/ und einen  
auf die Pupillen selbst eingerichteten Lehen-Brief er-  
halten/ und nach erlangter Mündigkeit Sie die Lehen-  
Pflicht ablegen/ alsdann den Lehen-Tax aufs neu zu-  
entrichten schuldig? Hac de quæstione videatur Fa-  
bri Staats-Cangley P. 2. fol. 239 seqq. ubi ista ne-  
gative deciditur sub allegatione variarum ratio-  
num, quæ ibidem legi possunt.

### Thes. XXVIII.

Debetur Taxa feudalis toties, quoties manus  
feudi mutatur & renovatio investituræ facta est.  
Fit autem ista mutatio vel a parte Domini, vel a  
parte Vasalli.

### Thes. XXIX.

A parte Domini contingit mutatio vel morte  
D  
Do-

Domini, vel alio modo, quo dominium directum  
in aliud transfertur. Circa dictam mutationem  
communiter Doctores statuunt, quod Domino e-  
jusve hæredibus nullum solvi debeat laudemium,  
si respectu eorum mutatio vel per successionem, vel  
per contractum, vel alio modo contingit. Hartm.  
Pistor. p. 1. qu. 50. n. 6. Et hinc infero, etiam nul-  
lam deberi Taxani feudalem, quia hæc pari jure  
cum laudemio censemur. Ratio vero, cur in dicta  
mutatione nullum debeat laudemium, potior  
hæc est, quod laudemium ob novi Vasalli  
investituram & receptionem solvatur. Jafon.  
in l. fin. C. de iure emphyt. Dominio autem mutato  
non recipitur novus Vasallus, nec per hanc mu-  
tationem possessor Vasalli invertitur, merito itaque  
solutio laudemii & sic etiam Taxa feudal is cessabit.  
Huic rationi accedit, quod mutatio, quæ sit a parte  
Domini, sine facto possessoris contingat, si enim  
possessor gravaretur laudemio, tunc alter alterius  
conditionem præter ipsius voluntatem ficeret de-  
teriorem, suam vero meliorem, quod principiis  
juris adversatur. l. 39. ff. de negot. gest. quod in tan-  
tum procedit, us licet in literis investiturae, con-  
suetudine & statuto cautum sit, laudemium esse  
solvendum, quoriesunque manus fendi sit muta-  
ta, hoc tamen in dubio faltem intelligendum de  
manu mutata serviente non vero dominante. Struv.  
in S. J. F. cap. 10. §. 13. n. 2.

Thes.

I Thes. XXXI

Fallunt hæc, si per legitimam præscriptionem  
& specialiori consuetudine aliud sit introductum,  
vi cuius fere quotidie videmus, certum quid loco  
laudemii vel Taxæ feudalis in casu, quo Dominus  
mutatur & investitura renovanda est, ex solvi so-  
lere.

Thes. XXXII

A parte Vasalli mutatio fit itidem vel morte  
vel feudi alienatione.

Thes. XXXIII

Quod liberi vel alii hæredes ab intestato succe-  
dentes a præstatione laudemii & sic etiam Taxæ  
feudalis immunes sint, nisi pactum vel consuetu-  
do in contrarium obstat, jani supra Thes. IX. in-  
digitavi; quoad successionem testamentariam di-  
stinguendum est, aut succedit in feudo, qui alias  
ab intestato esset successurus, aut qui non erat suc-  
cessurus. In illo casu nullum laudemium vel Ta-  
xam feudalem, in hoc vero deberi Doctores volunt.

Franck. de laudem. cap. II. n. 2.

D 2

Thes.

## Thes. XXXIII.

Præsupposita consuetudine præstationum laudemium queritur, si liberi conjunctim Taxam feudalem solverint, & postea diviserint feudum, an obstricti sint, ut denuo pro singulis partibus illam solvant? Quod in proposito casu nullum debeatur laudemium, communiter asseritur. *Horn. in Jurisp. feud. cap. XVII. de renovat. invest. & laud. §. 22. Carpz. p. 2. c. 29. Dec. 23. Franzk. de laud. cap. 8. n. 40. & seqq.* quia per divisionem non acquiritur novum dominium dividentibus, sed id, quod ante cohæredum pro indiviso erat, pro virilibus portionibus inter eos distribuitur. *Amed. a Ponte qu. 25. quæ rationes ad Taxam feudalem omnino etiam applicandæ sunt.*

## Thes. XXXIV.

Si vero unus liberorum partem reliquorum emat & ita totum retineat, estimatione condigna reliquis præstata, laudemium & sic etiam Taxam feudalem deberi tradunt. *Hartm. Pist. qu. 50. n. 56. Richt. Vol. 2. cons. 273. n. 3.* quod multo magis obtinet, si post factam divisionem aliorum cohæredum portiones emerit, cum facta divisione cohæres habeatur pro extraneo. *Franzk. c. 8. n. 16.*

Thes.

## Thes. XXXV.

Inter species alienationum palmaria est emtio venditio, qua interveniente deberi Taxam feedalem nemo est, qui negat; Et hanc conclusio nem quoad laudemiales præstationes ampliant Doctores, etsi venditio fiat non simpliciter, sed cum pacto scilicet de retrovendendo, quia venditio haec revera pura est, & sine conditione, adeoque dominium & possessionem rei in emtorem transfert, & fructus medio tempore percepros ipsius facit. Textus est expressus in l. 2. C. de paꝝ. inter emtorem & vendit. Tiraquel. de retr. convent. §. 1. gloss. l. n. 73. & seqq. adeoque si postea premium conventum offeratur, non tam prior venditio rescinditur, quam alia de novo contrahi dicitur. Franzk. cap 16. n. 28. & 29. Non desunt quidem, qui contrarium statuant ac putant, quod ista venditio non plane pura & irrevocabilis sit, sed sub conditione revenditionis, quæ revenditio sit restitutio ex priori orta, ita ut fundus priori venditori magis reddatur, quam ut ei de novo acquiratur, quare tradunt regulam, quod laudemium tunc non debeatur, quando resolutio contractus fit ex causa prioris contractus ad restitutionem obligantis. arg. l. 33. C. de Transact. Attamen supra laudata opinio sicut magis communis, ita veritati juris magis consentanea esse videatur, idque minus dubii habet in territoriis Elect.

D 3

Saxon.

Saxon. propter Constit. tit. von Lehenwahr in verb.  
Wo ein Guth auf ein Erb der Wiederkauß verkauft  
wird/ so ist der Käufer wegen der recognition und daß  
er vom Herrn in den Schutz genommen/ die Lehenwahr  
zuentrichten schuldig. Carpz. p. 2. Const. 1. Def. 23.

## Thes. XXXVI.

Quæritur circa hanc materiam: An redi-  
mens obligatus sit primo emtori refundere Ta-  
xam feudalem? Ita forte videri posset propter  
textum in l. 23. §. 1. de Adilit. Ediſ. ubi Ulpianus  
inquit, dissoluto contractu, utrumque nihil amplius  
consequi debere, quam haberet, si venditio fa-  
cta non fuisset, &c l. debet. 27. in fin. ejusd. cit. ubi  
cum res redhibetur, vestigalia, vel si quid acces-  
sionis nomine dederit, & quicquid denique rei  
emtæ nomine erogaverit emtor, cum sponte non  
dedit, dissoluta venditione restitui ipsi debent.  
Contraria tamen sententia verior est ac habetur.  
*Nevizan. Conf. 88. n. 18.* quia venditio prima non re-  
tro ut ex tunc resolvitur, sed potius vis illius ut  
ex nunc extinguitur, & revera nova venditio cele-  
bratur. Cui accedit, quod præstations ejusmodi  
laudemiales sint onus investiture annexum & em-  
toris proprium. *Panarin. Conf. 76. col. 2. Richt. Dec.*  
23. n. 76. & seqq.

Thes.

D

## Thes. XXXVII.

Porro debetur Taxa feudalis in permutatione, cum quia permutatio maxime vicina est emtioni venditioni, per l. 1. & 2. ff. de rer. permuat. & vicem emtioni obtinet l. 2. C. cod. quin & qui rem permutat, emtori similis est. l. ult. quibus ex caus. in posseff. eat. cum quia persona possessoris fundi feudalis immutatur, quæ sola ratio sufficit ad oneris illius præstationem. Coler. p. 1. Dec. 33. n. 8. & 16.

## Thes. XXXVIII.

Idem dicendum est de donatione, scilicet & donatarium teneri ad præstationem Taxæ feudalis, quia eadem hic subest ratio, quæ est in emtione, cum & hic dominus novum accipiat posses forent, quorundam referri possunt, quæ habet Amed. a Ponte qu. 50. n. 2. Coler. Dec. 33. n. 16. Hartm. Pistor. p. 1. qu. 50.

## Thes. XXXIX.

Ratione quanti Taxæ feudalis nihil certi definiri potest. Nam sicut tota præstationum laudemalium ratio a consuetudine dependeret; ita quoque earum quantitas, quæ ab afferente certam quantitatem probanda. Struv. in S. J. F pag. 393.  
Franzk.

Franzk. cap. 4. n. 20. Richter. Decis. 38. n. 8. Horn.  
cap. XVII. de renov. invest. & laud. §. 22. Hinc novi-  
mus, Taxam feudalem non esse unius generis sed  
variare pro locorum consuetudinibus.

## Thes. XL.

Quantum loco Taxæ feudalis olim ab Imperii  
Vasallis præstari debuerit, liquet ex sanctione Au-  
reæ Bullæ cap. 29. §. 1. seqq. Hodie autem quid eo  
nomine persolvant Imperii Vasalli, de eo Limnæ-  
us designationes, quas ipse viderit, variare memi-  
nit, quod & intelligi potest ex duabus illis designationib.  
de anno 1613. & 1639. quas ipse subjicit, à  
quibus rursum differt aliquo modo præsertim quo-  
ad aulicos Imp. officiales taxa de anno 1621, quam  
exhibit Spreng. pag. 160. & seqq. Utut eandem ex-  
acte respondere afferat illi taxæ, quæ ex Cancella-  
ria Imper. Aulica novissime communicata est, sal-  
tem quod thesaurarii hæreditarii pensio ibidem ad-  
jecta sit. Alia etiam designatio ejusmodi sumtuum  
feudalium ( quantum nempe hæreditariis Imperii  
officialibus a singulis Imperii Vasallis exsolvatur )  
reperitur apud Besold. in thes. pract. tit. E. n. 38. p. 232.  
Quantum vero hodie hæreditariis atque Aulicis Im-  
perii officialibus ut & ministris Cancellariæ exsol-  
vatur, illorum impendiorum indicem ex officio  
Taxæ ( aus dem Tax-Ambt ) sibi communicatum  
exhibit Uffenbach. cap. II. p. 124.

Thes.

Thes. XLI.

Ubi nondum certa quædam Taxa feudalis apparet, ibi determinatio istius facienda secundum aestimationem rei feudalis. Schilt. de Bon. laudem. §. 8. in fin. Conf. Elect. Saxon. supra thes. V. alleg. Et hinc novimus, Imperialium feudorum taxam, si ab iisdem notabiles quædam portiones avulsæ fuerint, etiam minui. Schop. in thes. feud. cap. 1. Sec. 9. p. 171. & inde quoque rationem repetit, quod in Judicij aulici ordinat. tit. 3. §. Dierveil auch ic. Procuratores, qui alieno nomine de feudis Imperii investiuntur, decrementa feudorum Imperii indicare jubentur, ubi & in subsequenti §. Wie denn auch ic. Registratoribus injungitur, ut ad certiorem rei fidem indicem feudorum Imp. Germanicorum & Italicorum ordine alphabetico confiant, & quo quæque tempore renovata fuerint, & si quæ alia huc spectent, eidem inscribant. Cæterum taxatione quomodo sit formanda & de ejus requisitis ac formalis ratione videri potest Tornov. in Tract. de Feud. Mecklenb. Sec. V. th. 18.

Thes. XLII.

Dominus certam summam a Vasallis laudemii vel taxæ titulo hactenus exsolvi solitam iisdem invitatis augere non potest. Schurff. cent. 3. conf. 21. n. 16.

E                   Ejus-

Ejusmodi enim pensio tanquam a juris communis decretis exorbitans consuetudo non ampliari, sed potius, qua licet, restringi, & quod passim Doctores monent, intra terminos eidem positos coegeri debet, quam in rem vid: *Responsum Jctorum Jenensium apud Struv. Syntagm. feud. cap. 10. aph. 14.* Ex qua ratione contigit, quod, cum Sanctione pacis Westphalicae Comes Palatinus Rheni in numerum Electorum cooptatus Archithesaurarii munere potiretur, & ejus subofficialis tantundem, quantum & ceteri hujus ordinis in feudorum Imperialium investitura pretendere coeperit, nonnulli ex Imp. Statibus ægre admodum id tulerint, & officium quidem novum ab Imperatore tribui, sed taxam præter solitum augeri non posse causati sint, uti refert Sprengerus.

### Thes. XLIII.

Super quantitate Taxæ feudalis si quæstio occurrat, ab initio quidem secundum hodierum stylum Curiarum feudalium summaria causæ cognitione definit Dominus feudi per suos Consiliarios; eventualiter vero & ut Vasallus nullam querulandi causam habeat, ipsi liberum relinquitur, adversus fiscalem vel procuratorem feudi constitendum jura sua alternis positionibus proponendi, & ordinaria causæ cognitione facta, sententiam parum, vel qui eorum loco habentur, expectandi. vid: *Fabri Staats-Canzley part. 2. fol. 236.* Quod si in

si in feudis Imperii agentes aliquae solicitantes de expeditionibus Cancellariæ officiisque taxæ justam conquerendi causam se habere existimant, anno 1672. d. 19. Febr. constitutum fuit, quod gravamina sua coram Vice-Cancellario Imp. explicare debant, quod decretum multaque alia ad illustrationem hujus argumenti eximie spectantia exhibet *Uffenbach. in fin. Tract. de Jud. Aul. post Taxam Cancell. p. 46.*

## Thes. XLIV.

Si duplex casus petendi in vestitiram concurredat, mors scilicet Domini atque Vasalli, queritur, an duplum Taxæ præstandum? Duplum Taxæ aliquando exactum fuisse, notat *Sprengerius*, nescius an illud præstitum ita fuerit, nec ne, in *Luc. p. 162.* & in *Ep. precurs. ad Ellyohn.* Et sane pro singulis his casibus laudemium præstandum esse diserte negavit *Myler. ad Rumel. ad A. B. P. 3. D. s. tb. 15. p. 81L* in quam sententiam etiam differit *Georg. Franzk. de laudem. cap. 4. n. 35. seqq.* Et sic pronunciarunt *Lippenses* anno 1545. *M. Majo*, concipiente sententiam *Mod. Pist.* cuius tenorem refert *Beat. de Contr. p. 4. sub tit. von Lehenwahr cap. 24.* *Schrad.* in *Tract. Feud. p. 6. cap. 3. n. 26.* ad hujus questionis decisionem diligenter attendendum putat tenorem pacti vel statuti. Et si quidem pacto vel statuto cautum sit, ut Vasallus pro omni-

bus casibus evenientibus, propter quos investitura petenda est, laudemium solvat, de omnibus casibus petendæ investituræ ipsum laudemium solvere cogi posse existimo. Sin autem pacto vel statuto caustum sit, ut pro investitura laudemium vel pecunia solvatur, tunc Vasallus unicum tantum laudemium solvere obligatus est, licet plures casus petendæ investituræ vel ex una vel ex utraque parte evenerint; sin vero tenor pacti vel statuti clarus non sit, illud, quod in isto loco, in quo bona feudalia sita sunt, consuetum sive usitatum est, inspicendum; sin autem nec de illo, quod in loco, in quo feudum situm est, consuetum vel usitatum est, liqueat, quia videlicet mos illius regionis varius est, verba tam pacti quam statuti ita accipienda sunt, ut licet plures casus petendæ investituræ evenient ante investituram petitam, Vasallus tamen non pro omnibus casibus, sed pro unica tantum investitura laudemium & sic etiam Taxam feudalem solvere cogatur. *Math. de Affiliat. cap. i. in pr. n. 37.*

### Thes. XLV.

Quæritur vero: si Vasallus plura habeat feuda sub unius Domini jurisdictione sita, & de iis investiatur, an pro illis omnibus unam saltem Taxam an plures pro numero feudorum exsolvere teneatur? Hujus quæstionis mentio ac decisio ratione feudorum Imperii habetur in *Capitulatione novissima*

*sima Caroli VI. Art. 17. ubi de Taxa feudali in proposito casu sequentia extant verba: In der Lehen Tax wollen wir bey der Verordnung der guldnen Bulle (vid. A. B. cap. 29.) vermöge deren von einer Belohnung / wann gleich verschiedene Lehen empfangen werden / mehr nicht / als ein einfacher Tax zu entrichten / verbleiben / noch einige Erhöhung ohne der Stände Willen aufkommen lassen / vielweniger die Thurfürsten / Fürsten und Stände mit den Anfalls Geldern von dem Lehen / damit sie albereit coinvestiret gewesen / oder sonst mit ungewöhnlichen und neuerlichen Anforderungen nicht beschweren noch beschweren lassen.*

## Thes. XLVI.

Ratione temporis puto, Taxam feudalem non deberi tempore recognitionis, sed tempore investituræ; quamvis enim verum sit, quod quilibet Vasallus intra fatale, scilicet intra annum a tempore mortis, teneatur feudum recognoscere, & sic videri posset, intra hoc idem spatium etiam præstationes laudemiales exsolvendas esse; tamen reærior & verior habetur sententia, quod scilicet non tempore recognitionis sed tempore investituræ debatur præstatio laudemialis seu Taxa feudalis, tum quia hæc est onus investituræ, non recognitioni adhærens, cuius causa efficiens propinqua est ipsa investitura, tum quia taxa feudalis propter investituram sive pro ipso actu investiendi & pro con-

sektione literarum investituræ ministris seu officiæ libus tanquam honorarium exsolvitur & laudemium minus vocari solet, vid. *Repons. Facultat. Jurid. Argent. in Fabr. Staats-Cantley part. 2. pag. 238. Schilt. Comment. in Cod. Jur. Aleman. feud. p. 299.* & ejus disserr. de bon. laudem. §. 8. *Mand. Elect. Saxon. de dato 12. Nov. 1691. ibi:* Wann sie nun beliehen / wollen wir auch / daß ein jeder den aufs neu gefertigten Lehen-Brief umb den gesetzten und gewöhnlichen leidlichen Lehen-Tax unverlängt ablöse.

### Thes. XLVII.

Fluit ergo ex his, quod ante investituram Texa feudalis exigi non possit, quia exsolvitur quasi in compensationem laboris, quem officiales Domini habent, Vasallum in actualem possessionem inducendo. *Surd. Dec. 31. n. 8. Bachov.* equidem putat, præstationem laudemialem deberi ante traditionem vel investituram, cui e diametro adversatur *Franzk.* qui post revera peractam investituram illam deberi statuit. Rectius media sententia usu fori feudalii obtinet, quod simul & eodem tempore solvatur laudemialis præstatio & investitura detur. *Schilt. in Comment. de Bon. laudem. p. 646. in not. de beneficiariis Imp. notat. Spreng. in lucern. p. 169.* quod, postquam investiendus ad præstationem juramenti feudalitii per decretum admissus fuit, deinceps intra mensem taxam Cancellariæ necessario exsol-

(39)

exsolvere teneatur : Et ita expresse statutum fuit  
per commune quoddam Senat. Imp. Aulici Decretum  
de anno 1659. d. 13. Aug. Jung, decret. de anno 1659. d. 18.  
Mart.

### Thes. XLVIII.

Ex dictis porro infertur, si contrahentes am-  
te petitam & instantem investitoram a contractu  
recedant, quod nulla debeatur præstatio laudemia-  
lis & taxa feudalis. Horn. de renovat. invest. & lau-  
dem. §. 23. Franzk. de laudem. cap. 5. pag. m. §. n. 42.  
& 43. quia laudemium & taxa feudalis solvitur pro  
investitura ; cessante autem hac causa, non im-  
merito cessabit præstatio laudemialis. Contrarium  
vero ubi per consuetudinem introductum obtinet,  
illi non immerito inhærendum est.

### Thes. XLIX.

Liqueret etiam exinde, quod non illi officiales,  
qui recognitionis attestatum vulgo den Muth-Zedul/  
oder Muth-Schein præbent , Taxam feudalem exi-  
gere possint, sed saltem ii, qui actum investituræ  
expediunt, quia sicut laudemium , ita & Taxa feu-  
dalis honorarii seu sportulæ loco est pro labore ac  
opere investituræ. Franzk. de laud. cap. V. n. 16.

Thes.

## Thes. L.

Si vero contingat, officialem seu ministerium Curiæ feudalis, qui actum investituræ expedivit, decedere, antequam Taxa feudalis fuerit exsoluta, tunc hæredes ejus sine dubio defuncti partem prætendere possunt: quia succedunt in omnia defuncti jura ac per consequens etiam in istud debitum activum. *I. Nihil aliud 24. ff. d. V. S. I. hæreditas 62. ff. de R. I. Carpz. lib. VI. Tit. VII. Resp. 64. n. 1.*

## Thes. LI.

Circa doctrinam de Taxa feudalii querunt Doctores, an hæc ad fiscum Imperii sit referenda? Et respondetur negando, sed sportulæ illæ inter ministros aulæ & Cancellariæ seu Curiæ feudalis distribuuntur. *Schilt, in Inst. jur. publ. Romano-Germ. Zom. I. lib. 2. Tit. I. §. 13.*

## Thes. LII.

Quoad remedia Juris, illa consideranda sunt vel a parte Domini, vel a parte Vasalli.

## Thes. LIII.

Domino pro consequendis præstationibus laudemialibus Doctores varias attribuunt actiones, ut actio-

actionem hypothec. inter quos est *Amed. de Ponte qu. 35.* Nonnullis placet rei vindicatio , adhuc aliis arridet actio personalis ; quidam conditionem ob causam competere putant . Plurimi in sententiam transeunt *Dni. Struv. S. I. F. cap. 10. §. fin.* quod scilicet in emphyteusi laudemium peti possit actione ex contractu emphyt. quia spectat ad recognitio- nem Domini directi , quæ ipso contractu ab em- phyteuta , qui recipitur , promittitur .

### Thes. LIV.

Vassalus , si præter debitum ad præstationem aliquam laudemiale vel ultra , quam solitum est , adstringitur , uti potest provocatione *ex l. diffamari C. de ingen. manumiss.* Beneficium enim hocce lo- cum habet in omni genere causarum civilium & criminalium . *Bocer. Decisi. 25. n. 7.* Potest etiam u- tilis actio negotaria institui , quippe quæ non so- lum pro servitutibus , sed & pro omnibus iuribus incorporalibus denegandis ex communi Dd. sen- tentia competit . Porro Emphyteutæ actionem emphyteuticam utilem , nec non Vassallo utilem actionem feudalem adversus Dominum competere putant . Locum etiam habet interdictum , uti pos- sidentis , quod remedium possessorium est ideoque petitorio præferendum .

F

Thes.

## Thes. L V.

Ratione Judicij, coram quo quæstiones laudemiales ventilandæ, distinguendum eit: Si controversia occurrit de re aliqua, & agitur in rem contra debentem, forum quis sortitur ibi, ubi res sita est l. ult. C. ubi in rem l. 38 ff. de iudic. si vero actio intentata personalis, actor debet domicilium rei sequi per regul. in l. Juris ordin. 2. C. de jurisdict. omn. jud.

## Thes. L VI.

Atque hæc sunt, quæ pro angustia temporis de Taxa feudali collegi, & publicæ eruditorum disquisitioni submittere constitui. Si vero lectoris spei non satisfecero, ignoscat mihi rogo; Omnia enim habere memoriam & in nullo peccare, potius divinitatis quam humanitatis dicitur in *Constit.*

Tanta §. 14. de Confirm. Digestorum;  
interim

Sit soli summo gloria summa D E O.



56) 0( 56  
*Viro Consultissimo,*  
**DN. H. P. DÖBNERO,**

*Fautoris Amico suo honoratissimo,*

S. D. P.

**NICOLAUS EINERT,**

*Confisi, Sax.*

**P**Ostequam Te summum, quo almæ  
Themidis Cultores aspirare solent, ho-  
noris culmen concendere velle, ejusque voti  
ut compos fieres, hanc antiquam Tibi præ re-  
liquis arrisisse Academiam cognovi, non po-  
tui non maximam exinde capere volupta-

F 2 tem.

¶ 10 C 58

tem. Cum enim Ornatisimam Familiam  
Tuam a teneris plurimi fecerim, magnope-  
re protecto laetor, quod Illi Tibique ani-  
mum atque affectum meum publico jam  
testari possim argumento. Et id quidem  
eo lubentius facio, quia sive eximias animi  
Tui dotes, sive Consultissimorum & Amplis-  
simorum Fratrum perinde ac Majorum  
Tuorum celebre nomen mente volutem  
mea, ad laudem sane magnus mihi se offert  
campus. Quamvis autem, *Vir Consultis-*  
*sime*, longe lateque hic vagari non ausim;  
quippe cum instituti mei id non patiatur ra-  
tio, & præterea tot tantisque Vestris in Pa-  
triam meritis meo nihil addi possit præconio;  
Avi tamen Tui, JCti celeberrimi, paucis  
mentionem facere non abs re erit. *Vir is*  
*erat*, justitia periclitante, liberi satis oris &  
cal-

¶ 10 ¶

calami, ac religiosus justi & aequi sacerdos,  
adeo, ut eruditione, sapientia, dexteritate at-  
que fide singulari famam in Ducatu Cobur-  
gensи sibi comparaverit nunquam intermo-  
rituram. Filium ille reliquit prudentia, in-  
tegritate ac dignitate consulari in Patria con-  
spicuum, nepotes autem dignissimos plane  
Patris avitarumque laudum hæredes, qui  
partim in Aula Regia Dresdensi, partim in  
Patria munieribus funguntur gravissimis; &  
in his Tu quoque *Vir Consultissime*, præ-  
clara juris peritia & mira in causis dicendis  
felicitate tantam jam concivisti admiratio-  
nem Tui, ut vivam in Te Avi Patrisque Tui  
imaginem omnes intueantur. Summos  
nunc diuque meritos in utroque Jure capes-  
sis honores, sero quidem, sed quo dignior  
illis es, eo majus hinc refers decus & splen-

F 3

do-

dorem: De iis itaque Tibi animitus gratulor, sincere optans, ut maxima ad Teamplissimamque Familiam Tuam inde redundent emolumenta, & in primis ut eruditus & haud vulgaris ille labor Tuus de *Taxa Feudali* fructus ferat desideratissimos. Vale, *Vir Consultissime*, & mihi porro fave. Dabam Erfordiaæ VIII. Calend. April. MDCCXIX.



TA-OC (1+12)

56.



3





SUB NUMINIS DIVINI PRÆSIDIO  
DISSERTATIONEM INAUGURAL. JURIDICAM,

DE  
**TAXA  
FEUDALI,**

VULGO

**Dom. Lehn-TAX,**

*CONSENSU MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,  
IN PERANTIQUA ACADEMIA HIERANA,  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE ET LEGITIME  
CONSEQUENDIS,*

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SUBMITTIT

**HEINRICUS PHILIPPUS  
DÖBNERUS,**

COBURGO - FRANCUS,  
ILLUSTRIS REGIMINIS SAXO - COBURGENSIS  
ADVOCATUS ORDINAR.

DIE XXVII. MART. ANNO CIO CCC XIX.

HORIS LOCOQUE CONSUETIS.

**ERFORDIAE,**

**TYPIIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
TYPOGR. ACAD.**